



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae  
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo  
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae  
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

**Horrion, Johann**

**Paderbornæ, 1616**

Capvt VI. Propriè dictam Academiam sine Iurisprudencia esse posse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14243**

Illustrissime, nō modò jam olim pueriles scholas, verùm etiam hanc Academiam tuis opibus condidisti, quam iccirco ijs solis disciplinis consecrari voluisti, quæ Canonicis institutis Ecclesiastico homini sunt permixtæ. Notum enim est ijs juris civilis, & Medicinæ tractationem interdici. Fuit scilicet tibi cura ea studia excitare, ad quæ colenda, refrigerante indies cælesti caritate, omnibusque quæstum, & popularem auram spectantibus, pauci sponte appellunt animum.

## C A P V T VI.

### Proprie dictam Academiam sine Iurisprudentia esse posse.

**V**ERVM, Illustrissime Princeps, hic ego, quod paces fiat tua, cogor nonnullis rerum imperitis respondere, qui cum audiunt, necdum tradi in Academia tua Iurisprudentiam, opinantur aliquid ei ad Vniuersitatis nomen deesse. Eos ego non meis sed hominum iuris peritorum verbis hunc errorem dedocebo. Igitur Iacobus Middendorpius VVestphalus Theologiae, & Iuris scientia clarus, libro, quem de Academiis edidit, cum nomina inuestigaret, quibus recte hæc nostra publica gymnasia afficiantur, principio rectè eis docet Academiæ nomen tribui, ac deinde ingressus sermonem de nomine Vniuersitatis: (Recentiorum, inquit, quidam Scholas publicas, quod auctoritate publica, siue quod idem fere est, publicè instituuntur, quidam Vniuersitates appellare malunt. Non tam quod omnes liberales artes in eis doceantur (multa enim ad certarum tantum disciplinarum professionem eriguntur) sed



sed quia Professoribus & Studiosis litterarum collegium, atq; vniuersitatem habere licet, quod alioqui iure prohibitum est. Petrus item Tolofas doctissimus Iuriconsultus, libro XVIII. de Rep. cap. VI. Sunt, inquit, arbitraria principibus Ecclesiasticis, & secularibus vt loca, in quib. velint scholas priuilegiatas constitui, ita & quas ibi velint tradisci-entias, siue omnes, siue certas. Quamuis enim omnes habeant commune vinculum, & constituat Encyclopædiam, non tamen sequitur debere in vno eodemq; loco simul tractari vel doceri. Possunt enim in diuersis disci, & doceri. Neque ideo minus Vniuersitas priuilegiata in Gallia, aut alibi dicitur, si modo priuilegia concessa sint, quia ibi omnes artes vel studia omnia non tradantur. Sūt enim Scholastici & Doctores qui faciunt vniuersitatem, & non diuersitas scientiarum. Possunt adijungi semper scientiarum diuersarum professores, iam introductis professionibus, vt iisdem potiantur priuilegijs, quibus iam fundatæ, non secus quàm noua studia alijs locis cū iisdem priuilegijs, quibus iam potiuntur antiquæ Academiæ. Sunt quippe hæc iuris positiui, quæ mutari & augeri vel tolli possunt arbitrio eorum, qui potestatem habent, maximè noua orta iusta causa. Quemadmodum Theodosius & Valentinianus professoribus artium liberalium priuilegiatis, qui in ciuitate

Roma-

[Vide copiosè Rebus de tract. nomin. q. 6. n. 13. & in §. statui-mus 2. ad verbum Vniuersitatis de collat. in concord.]







gnitate seu gradu insigniti gaudent, vtuntur, fruuntur, & potuntur.) Qui igitur Paderborne negant Vniuersitatem propriè dictam esse ij Iurisperorum, & summorum Principum inscientiam dum videntur fugillare velle, demonstrant suam.

## CAPVT VII.

Illustrissimum Principem, condenda Academia, eximiam suam in Societatē Iesu voluntatem declarasse.

**H**ANC igitur Vniuersitatem (sic enim ipsis quoque Iurisconsultis approbantibus, appellemus) Ecclesiæ potissimum commodo, & dignitati institutā, Princeps Illustrissime, curæ, atq; potestati Societatis IESV committēdam, tradendamq; iudicasti. Sic enim tuo rogatu decernit in suo diplomate Pont. Max. (Ipsam Vniuersitatem, ac studiū generale sic erectum & institutū, curæ, regimini, & administrationi dictæ Societatis, & illius Præpositi Generalis, seu ab eo deputandi, qui totius Vniuersitatis Rector existat, præfata auctoritate (Apostolica) etiā perpetuò supponimus, & submittimus.) Eodem spectat, q̄ Cæsar iubet eam gubernari, iuxta formulam. (Dilinganæ, aliarumq; Academiarum in constitutionibus eiusdem Societatis comprehensam.) Etenim B. Ignatius Societatis IESV Fundator non modo putauit è republ. fore si sui homines vnà cum aliis in publicis Academiis versarentur, sed etiam, si ita DEO cordi esset, vt ab aliquo Principe, vel Rep. alicuius Academiae administratio Societati crederetur, nō commisit, vt posteri certas ab eo leges, & instituta desiderarent. Eiusmodi Academiae sunt non paucae toto orbe excitatae, quarum primam fuisse accepimus Gandiensem à Frā-

cisco

[4. parte  
const c. 11.  
& seq]